



Dissertatio juridica inauguralis de publicanis, vectigalibus et commissis

<https://hdl.handle.net/1874/345161>

32.

D I S S E R T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
P U B L I C A N I S , V E C T I G A L I B U S
E T C O M M I S S I S .

Q U A M
FAVENTE D E O T E R O P T . M A X .
Auctoritate Magnifici D . Rectoris,

J A C O B I V A L L A N ,
M . D . Praxeos & Institut . Medicinæ Professoris Ordinarii ,
N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus consensu , Nobilissimaque
Facultatis F U R I D I C A E Decretō ,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S .

Summisque in U T R O Q U E J U R E Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis ,

Eruditorum examini subjicit

H E R B E R T U S à B E A U M O N T , A M S T E L O D .

Ad diem 9. Octobris , horā locoque solitis .



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

E x O f f i c i n a F R A N C I S C I H A L M A , A c a d e m i æ
T y p o g r a p h i , c l o x c i .

D E O
OPT. MAX.
P A T R I Ä
A M I C I S
E T
F A U T O R I B U S.

*Hoc Inaugurale Exercitium
Venerabundus*

D. D. D.

HERBERTUS à BEAUMONT,
Auct. & Resp.



DISSERTATIO JURIDICA]
INAUGURALIS,
DE
Publicanis , Vectigalibus
& Commissis.

THEISIS I.

Aggressuri materiam propositam ; oppidò illam in tres dividemus partes , quarum prima ager de Publicanis , secunda de Vectigalibus , & tandem tercia de Commissis . Publicanus , qui est Vectigalium seu publicorum reddituum conductor *l. i. §. 1. ff. h. t.* à populo seu publico dictus , quia id conductum habet , quod populi est , sive quod publicum est *d. l. i. §. 1. l. 12. in fine & l. seq. ff. h. t. l. 16. ff. de V. S.* aliquando vocantur conductores vectigalium *arg. l. 12. §. 3. ff. h. t.* quandoque redemptores , item mancipes , *l. 11. C. h. t.* qui enim à populo emebat conducebatvè , manu sublatâ significabat , se auctorem emtionis vel conductionis esse vel sibi emtionem seu conductionem in licitatione placuisse . *Festus verb.*

4 DISSERTATIO JURIDICA

mancept. Quàmvis tamen aliqui malint, mancipem dici Principe publicanorum, sive qui prærogativam inter publicanos habebat *Alex. ab Alexandro l. 2. genial. dier. cap. 29.*

I I.

Fuit autem olim illorum ordo Romæ maximus & potentissimus. imò in magno honore & pretio erant constituti; siquidem Principes equestris ordinis hoc vitæ genus sequebantur, & ipse flos equitum Romanorum hoc ordine continebatur; postea verò ob illorum potentiam, audaciam & scelera infamia uota aspersi sunt *l. 12. ff. b. t.* quorum nequitia in eo versabatur, quod nomine vèctigalium per se aut suos plus æquo per vim aut dolum extorquerent: unde tandem hominum vile & abjectum genus habitum. Quare Thersites interrogatus, quæ feræ essent sævissimæ: respondit, in montibus ursi, in urbibus publicani & sceneratores. In sacris etiam non raro injustitiæ arguuntur. Hujus ergò audaciæ & avaritiæ comprimendæ causa, specialis actio aduersus illos ex edicto prætoris data est.

I I I.

Antequam autem ad ipsum edictum, cujus verba referuntur in *l. 1. ff. b. t.* transeamus, sciendnm, quo modo tales locationes iniri solitæ fuerunt, quiue vèctigalia conducere possunt & in quibus obligatio publicanorum consistit. Fiebant namque prius per edictum publicum, vel præconis vocem denunciabantur, postea verò publicè sub hasta per licitationem, ut per contendentes pretium augeretur, & superiori, id est, majorem mercedem offerenti, vèctigal addici soleret *l. 4. C. b. t.* is tamen, qui licitatione vicerit, cautionem per fidejussores idoneos præstare debet *l. 9. in pr. ff. b. t.* ut ita publico foret satis prospicuum, non tamen hæ locationes ad unum annum, sed ad plures fiebant: patet enim ex *l. 7. C. locat. condic.* ad quinquennium suisse extensionem.

IV. Vc;

INAUGURALIS.

IV.

Vestigalia publica conducere possunt soli patresfamilias , & si filiusfamilias ea conduixerit , hoc ipso se gerit pro patrefamilias *I. 3. §. 5. ff. ad Sctum Macedon.* Tutores & Curatores minorum conducere non possunt , non tantum durante administratione , verum & eā finitā , quamdiu nec dum rationes ejus reddiderunt *I. un. C. ne tut. vel curat. vestig. conduc.* idque partim favore pupillorum , partim Reipubl. est introductum , nam videntur duobus in solidum bona sua obligare ; & si fortè dissimulato munere conduixerint , poenā falsi coērcentur *I. 49. ff. locat. conduc. I. 1. §. 9. ff. ad L. Corn. de fals.* quod verò falsi coērcentur hi , speciale est in Tute & Curatore , nam in alio crimen stellionatus locum haberet *I. 1. & ult. C. de crim. stellinat.* nec reliquator admittitur , antequam priori conductioni satisfecerit , *I. 9. ff. b. 1.* Item debitores fisci & Reipublicæ , vestigalia conducere prohibentur , ne ex alia & nova causa debita illorum onerentur , nisi fortè tales obtulerint fidejussiones , qui debitis eorum satisfacere parati sint *d. I. 9. §. 3. eod.* Mulieres autem à conductione vestigalium exclusæ non sunt *I. 47. ff. de Jur. Fisc.*

V.

Obligatio publicanorum in iis consistit , quod debeant promissas vestigalium aliorumve reddituum pensiones debito tempore solvere , quod si non fecerint , conductores cogi possunt , ut tempore locationis completo solvant , & deinde si non possint , vel in morā sint , ut usuras ex morā præstent *I. 10. §. 1. ff. b. 1.* quod si plures idem vestigal conduxerint , distinguendum esse puto , an scilicet expressum sit , quod singulis vel pro parte vel in solidum sit locatum , & quod expressum est , servabitur , *I. 13. C. locat. conduc. I. 47. ff. eod.* pacta enim dant legem contractui : an verò nulla partium solidive mentio facta sit ; &

6 DISSERTATIO JURIDICA

quidem, si publicanus, sive Princeps publicanorum, id est, manceps partem vestigalis alicui rursus cesserit, hic pro parte sua solum obligabitur, ipse manceps vero in solidum tenebitur; si vero societas inter publicanos fuerit inita, non quilibet in solidum, sed pro parte virili tenetur; si tamen unus vel alter non sit solvendo, hoc ceteros onerat, qui pro ipso obligati esse censentur, idque ob publicum interesse.

V I.

In praecedentibus dictum est, publicanos propter audaciam & avaritiam nomine vestigalium per se aut suos plus aequo per vim aut colum extorquere, ideo ad compescendam eorum audaciam Praetor edicto ita cavit l. i. in princ. ff. b. t. quod Publicanus, seu alius ejus nomine, quodque familia ejus rapuerit, si id restitutum non erit, in duplum, aut si post annum agetur, in simplum judicium dabo. Ex quo patet, quod ille ex edicto memorato agere possit, qui Iesus est, & convenitur tum ipse Publicanus, tum ejus familia, si damnum injuria dederit, aut illicite quid publice privatimque exegerit, atque res restituta non fuerit, ut intra annum in duplum post annum vero in simplum condemnetur l. 9. §. 5. ff. b. t. in duplo autem hujus rei persecutio inest l. 5. §. 1. eod. familie autem nomen hic ad servos non tantum reservatur, verum & ad liberos, qui sunt in numero familiarum Publicani, & ministrant Publicano in eo vestigali d. l. i. §. penul. quod si servus Publicani rapuit, non tamen in ea familia constitutus, que publico vestigali ministret, hoc edictum cessabit d. l. penult. quod si vero velit cum Publicano etiam communibus actionibus, vi bonorum raptorum, furti, damni vel injuriæ agere, non ipsi actio deneganda est; nam absurdum foret, Publicanorum causam meliorem esse quam ceterorum d. l. i. §. 3. Hæres vero Publicani non nisi in quantum locupletior factus, conveniri potest. l. 4. in princ. b. t.

VII. Pu-

VII.

Publicanos vectigalia conducere jam dictum : unde secunda pars nostræ dissertationis est de vectigalibus , quod à vecturâ sive à vehendo dictum ; adeoque vectigal propriè & specialiter est , quod fisco vel Reipubl. pro transitu ac vectura mercium penditur . Dicitur & portorium l. 6o. §. pen. ff. loc. conduct. & differt à Tributo ; Tributum enim à solis persolvitur subditis juxta cujusque facultates , præsertim prædiales , ad Principis dignitatem , vel communia impendia sustinenda . At vectigalia non à subditis modò , sed peregrinis etiam præstantur , solarum mobilium rerum invectionis & evectionis gratia , quantum nimirum illæ in emtionis aut permutationis veniunt contractum . In eo autem convenient , quod utrumque cedat in usum & commodum Republicæ aut Principis . Instituere vectigal potest ille , qui habet summum imperium & majestatem l. 10. ff. b. t. adeoque sine hujus permisso nulli alii licet vectigalia imponere , aut quid addere vel demere d. l. 10. l. 2. 3. C. vect. nova inst. non posse . Et si quis propria auctoritate indexerit , de Jure Civili pena erat exilium l. fin. C. b. t.

VIII.

Præstare vectigalia omnes debent , ita ut nemo ab iis sit immunis l. 7. C. b. t. justum enim ac æquum est neminem horum neque privatum , neque populum immunem esse , cum ex æquo ad omnes utilitas eorum redeat , imò ne miles quidem , uti Imp. rescribunt in l. 7. C. b. t. ita quidem , ut , si quis vel re-scrip-tum Principis impetraverit , illud præsumatur subreptitium , & effectu ac vi caret l. 6. 10. & 12. C. b. t. nisi secunda fiat de-hoc jussio ac monitio Principis , ad hoc ut impetrans à vectigalibus liberetur ; idque idè statutum , ne damno afficiatur fis-cus , aut is qui cum eo contraxit & vectigalia conduxit , fru-straretur enim hic fructu suæ conductionis . Quia tamen inter-dum

DISSERTATIO JURIDICA

dum singulare jus contra juris communis rationem alicui conceditur , jure factum videri debet , quod huic oneri subtracti sint 1 ipse Fiscus l. 9. §. fin. ff. b. t. 2. Navicularii , id est naucleri , cum suas non alienas merces vehunt l. 6. in fin. C. b. t. 3. Legati exterarum gentium , sed illarum rerum nomine tantum , quas ex Romano solo ad suas civitates deferunt , immunitatem habent , non vice versa l. 8. C. b. t. 4. Professores , Doctores & Studiosi arg. Auth. habita C. ne fil. pro paire. scilicet ratione librorum & aliarum rerum quas secum ferunt studiorum causa.

I X.

Quod ad res attinet , pro quibus vectigal solvitur ; sciendum est quod secundum jus Romanorum præstabatur vectigal pro rebus , quæ negotiandi causa inferebantur & evehebantur l. ult. §. 1. ff. b. t. & pro mercibus venalibus l. 6. in fin. C. b. t. non verò sunt obnoxiae vectigalibus res exercitui paratae l. 9. §. 1. ff. b. t. quoniam vadunt auctoritate publicâ , & à Principe dependent. 2. Quæ ruris exercendi causa vehuntur ; ut V. Gr. frumentum ad agrum conserendum. 3. Quæ ad Fiscum inferuntur l. 5. C. b. t. 4. Res proprii usus vel familiæ gratiâ. Quid verò usus nomine hic veniat , clarè ostendit Alsenus J Consult. in l. 203. ff. de V. S. & ibi Goedd. Quicunque igitur ita vel ratione personarum vel ipsarum rerum non sunt immunes , vectigal sub pœnâ commissi solvere debent , ita , ut Publicani non tenantur instruere transgredientes , sed res suas , quas vehunt apud Publicanos profiteri debent l. ult. §. 6. ff. b. t. si verò hoc neglexerint , res statim in commissum cadit , nec juvat , si postea parati sint vectigal solvere. arg. §. 3. d. l. ult.

X.

Priusquam autem ad commissum accedamus ; dicendum aliquid est de vectigalium magnitudine , & quantum quidem eo

no-

INAUGURALIS.

nomine exigi possit. Solebant Romani ex mercibus venalibus, vestigalis nomine exigere partem octavam, unde dictum octavarum, & redemptores dicti hinc Octavarii l. i. & 8. C. b. t. Cujacius etiam centesimas aliquandò & quinquagesimas exactas fuisse refert lib. i. obs. cap. 28. Verùm Paulus JCrus docet in omnibus vestigalibus ferè consuetudinem spectari solere l. 4. §. ult. ff. b. t. adeò, ut omnia non sint definita.

X I.

Ob fraudatum itaque vestigal dicitur res in commissum cadere, hinc sequitur ultima pars nostræ disputationis. Et quāvis commissi verbum latè pateat, variaque habeat significations; hic tamen commissum sumitur, pro eo, quod ob vestigal non solutum, vel omissam apud publicanos professionem Fisco vendicatur, seu cuius dominium vestigali acquiritur l. 14 ff. b. t. nec excusatur, quod aliâ viâ usus sit insolitâ l. 6. C. eod. l. 4. C. de Navicul. item prohibitas res exportaverit vel importaverit l. 1. 2. C. quæ res export. non debeant. Si verò quis res munes & immunes advexerit, & illas in totum vel pro parte celaverit; item, si quis merces prohibitas & permissas invehat, & has processus fuerit, queritur, an omnes cadant in Commissum? quod juxta jus Civile affirmandum videtur ex l. 11. §. 2. ff. b. t. l. 3. C. de naut. fæn. Ex æquitate tamen deciditur solum res immunes & illicitas committi, nam in eo quis debet puniri, in quo deliquit. Quod si plures navem quandam oneraverint, delictum unius non nocet reliquis negotiatoribus, licet socii fuerint l. 8. §. 1. ff. b. t. l. 39. §. 1. ff. pro socio. nam in delictis nulla est societas.

X II.

Rerum ita commissarum dominium ipso jure Fisco, vel ejus loco Publicano acquiritur l. 14. ff. b. t. & competit persecutio adversus quemcunque possessorem l. 14. eod. nimis rei vindicationis. Item adversus hæredem ejus, qui vestigal fraudavit,

B

si modo

10 DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

si modò possideat l. 8. pr. ff. b. t. si verò non possidet, non etiam conveniri potest hujus poenæ nomine, nam poenales actiones nunquam dantur aduersus heredes, nisi quæstio sit mota ante mortem delinquentis l. ult. §. penult. ff. b. t. Non tamen semper cadit res in Commissum, neque ista vindicatio locum habet: Cessat enim 1. si quis professus fuerit, & Publicanus non exegerit, quo casu poterit satisfieri Fisco ex bonis Publicanorum vel fidejussorum l. ult. §. 16. ff. b. t. cùm sola professio sufficiat, & imputandum sit Publicano, quod non exegerit. 2. Si Fiscus intra quinquennium non exegerit l. 2. C. b. t. 3. Si res perierit sine dolo possessoris d. l. 2. 4. Si ex probabili errore quis non profitetur res, quo casu poena est duplum vectigal l. ult. §. 10. ff. b. t. Ignoscitur & pupillo, eique poena commissi remittitur, si intra diem trigesimum vectigal solverit l. 7. §. 1. ff. cod. Item minori, si in sola professione erraverit, re non celata l. 16. §. 9. ff. cod. Tandem & militi concessum, ut ob omissam professionem poenâ commissi non teneatur, sed nihilominus vectigal solvere cogitur l. 3. C. b. t.



A X

AN



A N N E X A.

I S I T

*Transactio super re certâ & judicatâ
fieri nequit.*

I I.

*Aliud pro alio invito Creditori solvi non
potest.*

I I I.

*Negotiorum gestor tenetur de levissima
culpa.*

Em-

I V.

*Emphyteus in ante Zenonem fuisse, &
ex jure gentium oriri, omnino statui-
mus.*

Х Е И Н А

F I N I S.

